



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De firma custodia librorum. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

ostinis boni operis, qui reddit unicuique propriam mercedem, secundum piam intentionem, in cælis. Cum mortuus fueris, non desperabis, orabunt enim pro te, qui legerint volumina tua, olim a te satis bene scripta. Dicit Dominus in Euangelio: Qui potum dederit calicem aquæ frigidæ sitienti, non perdet mercedem suam. Multo magis, qui dat aquam vitæ sapiëntiæ salutaris legenti, in libro digito Dei scripto, non perdet mercedem suam in cælo.

CAPVT V.

De firma custodia librorum.

1. **P**onite librum istum in latere arca fœderis, in testimoniū coram Domino, ut sit in bona custodia, & magna reuerentia, coram sacerdotibus & omni populo. Hæc verba & multa alia præcepta locutus est Moyses famulus Domini ante mortem suam, mandans Leuitis custodire librum legis in arca Dei aurea diligenter obseruata. Igitur cum magna cautela & firma clausura, seruanda est libraria sacrorum eloquiorum ab omni putredine pulueris; ab incendio ignis & stillicidio humoris; à raptu furis & strepitu clamoris; à luto pedum & morsu vermium; ab omni macula & ruptura foliorum. Non enim dignus est in sacro libro legere, qui nescit bene custodire, & in apto loco negligit reponere.

Deut. 31.

Bibliotheca sedulo seruanda.

2. Sic accipe librum in manibus tuis ad legendū, sicut Symeon iustus puerum Iesum in vlnas suas, ad portandū & osculandum. Et postquam legisti, claude librum, & gratias age de omni verbo ex ore Dei; quia inuenisti in agro Dominico thesaurum occultum. Ab omni igitur sorde seruandus est thesaurus Ecclesiæ à sanctis doctoribus elaboratus & editus; à bonis scriptoribus scriptus & collectus, pro multorum consolatione à Deo prouisus.

Luca 9.

CAPVT VI.

De ornatu claustrī bene fundati.

1. **G**loriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Placet nāque Deo & sanctis eius claustrū bene fundatum, à tumultu seculi segregatum, multis deuotis fratribus & sacris libris ornatum. Hoc etiam piè creditur placere omnibus Deum amantibus, & diuina libenter audientibus, quia claustrum summi regis est castrum, & cælestis Imperatoris palatium, paratum religiosis personis ad habitandum, & Deo fideliter seruiendum. Verè locus iste sanctus est, Deo & Angelis eius acceptabilis, demonibus terribilis, deuotis amabilis; ad obsecrandū Deum multum optabilis, delectabilis, suauis, & honorabilis. Non est hic aliud, (sicut legimus & canimus)

Psal. 86.

Claustrī religiosi dignitas.

nisi